

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0324

Sabato 26.06.2004

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL CENTENARIO DELL'INCORONAZIONE DELL'IMMAGINE DELLA MATER DOLOROSA NEL SANTUARIO DI TELGTE (GERMANIA) (3 LUGLIO 2004)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL CENTENARIO DELL'INCORONAZIONE DELL'IMMAGINE DELLA MATER DOLOROSA NEL SANTUARIO DI TELGTE (GERMANIA) (3 LUGLIO 2004)

In data 24 giugno il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. Gilberto Agustoni, Prefetto emerito del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica, Inviato Speciale alle celebrazioni del centenario dell'Incoronazione dell'immagine della *Mater Dolorosa* nel Santuario di Telgte, nella diocesi di Münster (Germania), che avranno luogo il 3 luglio 2004.

La Missione che accompagna l'Inviato Speciale è composta da:

- Rev.do Mons. Winfried König della Diocesi di Münster;
- Rev.do Mons. Egon Mielenbrink, della medesima Diocesi;
- Rev.do Mons. Stephan Stocker, Segretario della Nunziatura Apostolica in Germania.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale:

• **LETTERA DEL SANTO PADRE** *Venerabili Fratri Nostro*
GILBERTO S.R.E. CARDINALI AGUSTONI
Praefecto emerito Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae

Provido de consilio Venerabilis Frater Christophorus Bernardus von Galen, Episcopus Monasteriensis, CCCL abhinc annos in oppido vulgo dicto Telgte Mariale sacrum locum constituit ad fidem populi sui roborandam. Et revera totum per hoc tempus, etiam difficilioribus in rerum adiunctis, inter aerumnas et discrimina, catholici pastores et fideles illuc ad Virginis Mariae mirabilem imaginem iter facere pergunt, ut ei suas committant necessitates et vota eiusque suavem experiri possint maternam tutelam et consolationem. Sed ab ipsa quoque fidenter ac toleranter omnia sustinere discunt et sic Christi passionibus adhaerere eiusque veri esse discipuli crucem suam cotidie tollentes (cfr *Lc* 9,23). Quis enim in fide non confirmatur contemplans Matrem Christi, quae

ante crucem stabat et piis spectabat oculis Filii vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem (S. Ambrosius, *Expositio evangelii secundum Lucam*, X, 132)?

Quamobrem Nos toto corde cupimus comitari peregrinos, qui celebre petunt sanctuarium dioecesis Monasteriensis Deiparam Perdolentem ibidem pientissime veneraturi. Cum vero noverimus hoc anno etiam centesimam incidere anniversariam memoriam illius diei quo haec Dei Genetricis imago sollemniter a Legato Pontificio diademate est coronata, libenter accepimus postulatum Venerabilis Fratris Rainardi Lettmann, Episcopi Monasteriensis, ut Patrem Purpuratum ad singularem hanc celebritatem mitteremus maiore splendore obeundam.

Te igitur, Venerabilis Frater Noster, mittere statuimus qui apud illam communitatem, Nobis carissimam, personam Nostram geras, quem scimus prudentia et meritis onustum nec non Apostolicae Sedis tot per annos diligentem Ministrum. Quapropter his Litteris Nostris **Missum Extraordinarium** te nominamus ad sollemnem duplicis iubilaei celebrationem in sanctuario quod diximus Perdolentis Dei Matris die III proximi mensis Iulii perendam.

Liturgicis celebrationibus Nostro nomine praesidebis fidelesque ibi adstantes ferventer hortaberis ad Christum perseveranter sequendum adque Eius Matrem pie venerandam, sicut his in regionibus mos est idemque ab antiquo servatur. Singularem fraternam salutationem Nostram transmittes quoque christianis aliarum confessionum.

Sollicito denique sacrorum Antistiti dioecesis Monasteriensis, quam quondam Ipsimet invisimus tempore pastoralis Nostris itineris in Germaniam, cunctis Episcopis, sacerdotibus, religiosis viris et mulieribus omnibusque christifidelibus sacros ritus pie participantibus, praestite Perdolenti Matre Redemptoris, Benedictionem Apostolicam, caelestis gratiae auspicem atque propensae Nostrae voluntatis testem, Nostro nomine largiaris volumus.

Ex Aedibus Vaticanis, die IX mensis Iunii, anno MMIV, Pontificatus Nostris sexto et vicesimo.

IOANNES PAULUS II

[01075-07.02] [Testo originale: Latino]
